

$\pi$  m  
6768





379, 21

II m  
6768

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIUS MATHIAS  
BOSE

PHYS. PROF. PVBL. IN COMMERC. LITTERAR.  
CVM ACAD. SCIENT. REG. PARIS. ACADEMIIS  
ET SOCIETATIBVS SCIENT. INSTITVTI BONON.  
REGIIS HOLM. ET LONDIN. ACADEMIAE HVMAN.  
LITTERAR. REGIAE GRYPHICAE NEC NON  
GERMANICIS DVCALIBVS HELMSTAD.  
ET IEN. ADSRIPTVS

INSTITVTVM  
IOACH. GVILIEL. WEICKHMANNI,

GEDANENSIS, LL. CVLTORIS,

MEMORIAM PACIS  
OLIVENSIS

ANNO MDCLX. V. NON. MAII DIE COMPOSITAE

ORATIONE SAECVLARI  
IN TEMPLO ACADEMICO

FRID. NON. MAII CIOIOCLX. HOR. X. ANTE MER.  
CELEBRATVRI

CIVIBVS ET POSTERITATI  
COMMENDAT

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI  
ACADEMIAE A TYPIS.



56





**Q**uam arduum eorum sit munus, qui pacis arbitria inter potentiores populos suscipiunt, a multis rerum ciuiliū magistris diligenter explicatum est, et doctissimae lucubrationes Boecleri, Obrechti, Treueri non minus, quam Vicquefortii in commentariis de legatorum officiis et iuribus disputatio, luculente et grauit̄ hoc argumentum explicant. Infinita tamen prope restare quis neget, quae in disceptationem venire possint, quoties fata regnorum validiorum pendent? Saepe qui bellorum initio utilis pacis reconciliator fuisset, in fine, vbi alterius partis iam nimium inclinātam fortunam animo haud aequo laturus existimatur, vt suspectus reicitur, si non dandis consiliis et ferendis repulsis armis paullatim implicatur. Interdum principia discordiarum quieti qui spectauerant, neque in pacificationem se interponendi causam sibi vllam esse crediderant, cadentibus postremum aliter rebus, quam opinio fuerat, necessariis officiis constringuntur, vicinis ruinis vt occurrant. Adeo multa possunt accidere, vt praeuideri nequeat, cui deus dirimendi secundum ius fasque controuersias potestatem sit daturus. Maxi-



ma quidem semper et praecipua ratio est visa, ut non alii se dissidiis praevalentium gentium interponant, quam qui non parentes coercere, et restitutae pacis securitatem ex sponsione praestare, queant. Vnde Papirius consul, teste Livio, cum parantibus se ad praelium Romanis et Samnitibus interuenissent legati Tarentini, denuntiantes, ut bellum omitterent, eorum demeritiam irrisit, vanissimam increpans gentem, quae, suarum impotens rerum prae domesticis seditio- nibus discordiisque, alius modum pacis ac belli facere aequum censeret. Utque idem nar- rat, Rhodiorum legati, pacem additis minis suadentes, magna cum indignatione senatus au- diti sunt, responsumque: Rhodios nuntio in or- be terrarum arbitria belli pacisque agere: deo- rum nutu arma sumtuos positurosque Romanos esse. At enim ipsa interdum potentia pacificato- rum metum creat, ne contingat, quod de Phi- lippo Macedone Iustinus memorat: Forte eue- nit, ut eum fratres duo reges Thraciae, non contemplatione iustitiae eius, sed inuicem metu- entes, ne alterius viribus accederet, disceptatio- num suarum iudicem eligerent. Sed Philip-  
pus,

pus, more ingenii sui, ad iudicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superuenit, et regno vtrumque, non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere, spoliavit. Sed quae difficultas circa arbitros reperiundos, ad quos post longa bella eatur, eadem et circa ipsa bellorum nonnulla genera offenditur, in quibus, inueteratis odiis, efferatisque iniuriarum dolore animis, vix alii pacificatores, quam gladii, admittuntur, quod bellorum Punicorum, Macedonicorum, Mithridaticorum, et triumviralium exemplis confirmare liceret. Quo maior est diuinae prouidentiae bonitas, quae Christianos inter populos eum saepe exitum atrocissimorum tumultuum dedit, quem nullis humanis consiliis prospicere, nullis viribus maturare, fas fuerat. Experta hoc ante saeculum Polonia erat, in quam, veluti in praedam omnibus expositam, tot simul hostes occasione rebellionis Cosaccicae paullatim et per vices inuolauerant, et multos per annos cuncta miscuerant; adeo quidem, vt praecipere animis euentum vix daretur, qui tantam rerum perturbationem consecuturus sit. Polonia, iste tam necessarius rei Christianae contra Turcos limes,

56



regnum tot bonis suis florens, simul cum prouinciis, sociis, et amicis nimis diuturno publicarum calamitatum documento erat, quoad nouorum, vnus post alterum, hostium impetus sustinuit. Et felix praedicari potuisset vel inter illas, si in omnibus, in quibus debuerat, fides fuisset, et par virtus atque constantia, quam illorum fuit, qui optimum regem vltima per discrimina secuti sunt. Multae vndique insidiae, et, vix vno alteroue periculo depulso, aliae mox instantium terrorum minae, et variis in partibus laboriosae luctae. Sollicita Austria semper, suspensa primum et fauente postremum Gallia, foederata et succurrente tandem Hungaria, vnum hostem in se ipsam auertente Dania, Brandenburgica potentia post priora certamina ad societatem partium accedente, vt sustineri belli moles posset, nondum, vt finiretur, effectum fuit. Ipsa Germania, ex quo tempestas armorum vicinam in Pomeraniam exaestuauit, et aliae Suecorum per ipsam prouinciae ab eadem inundatae sunt, fatigata querelis ex sponsione Osnabrugensis foederis, in conuentu delectorum ab imperio Francofurti pacem suadendam decreuerat, quam et praesentibus oratoribus Suecicis commendandam curauit



curavit, et, missa ad Ioannem Casimirum regem legatione, necessariam et pro quiete Europae ineundam demum esse, demonstravit. Sed non alia potior morae causa, quam reconciliatorum et disceptatorum pacis inopia. Ad Galli postremum opem decursum quidem, qui etiam lubens eas sibi imponi partes passus est: at Hungarica legatio nullam eius rationem, notas ob causas, habuit. Erat, qui inde rem extrahi, et obiectis impedimentis disturbari, donec cupita obtineret, vellet. Deus tamen propitius celeri auxilio fuit, flexis ad amorem pacis paciscentium animis, ut praeter ipsum interuentore et recuperatore nullo opus fuerit.

Et praeclare custodit instituta maiorum ILLVSTRIS GEDANENSIVM CIVITAS, quae toto illo tristissimo bello singularis fidei et pietatis erga regem exemplum edidit, quum quotannis memoriam tam salutaris pacis supplicatione per templa et rerum diuinarum cura recolit. Hoc vero anno, qui saeculum post illam alterum aperit, continente triduo adiecto, religiosas istas caeremonias augendo sollemnius et augustius hoc tempus esse voluit,  
ita

ita quidem, vt, rite peractis ceteris, GOTTLIEB  
WERNSDORFIVS, V. Cl. et Eloq. ac Poëf. Prof.  
Celeberr. prid. Non. Mai., panegyricum dicat, qui  
litterarum quoque honorem, vt eius est insignis  
quaedam circa has facultas, gratiae tam piae cele-  
britatis addat. Quare animus IOACH. GVIL.  
WEICKHMANNI, IO. LEONH., DOCTORIS MED.  
ILLVSTRIS, FIL., Gedanensis, LL. apud nos cul-  
toris, eiusque politioris humanitatis studiosissimi,  
laude haud vulgari prosequendus est, qui, praeco-  
ptoris Wernsdorfii exemplo incitatus, eodem die, in  
templo nostro Academico, orationem, tum *de belli  
tam funesti vicissitudinibus*, cum *pacis Oliuensis  
salubritate*, habere, et pro felicitate publica vo-  
ta nuncupare, constituit. VOS PROCERES, CI-  
VES, omnesque, qui litteras vera aestimatione me-  
tiri consueuistis, pro eo, ac valitura aliquid nostra  
officia, inuicem pro facultate et ex animo tribuen-  
da, confidere possumus, rogamus atque obsecra-  
mus, frequentes et beneuoli adsitis, et media inter  
arma vel mentioni pacis faueatis. P. P. Vite-  
bergae d. IIII. Non. Mai. A. S. R.

clō Iōcc LX.



ULB Halle

002 040 14X

3



V018

5b





379, 21

II m  
6768

RECTOR  
ACADEMIAE VITEBERGENSIS  
GEORGIUS MATHIAS  
BOSE

PHYS. PROF. PVBL. IN COMMERC. LITTERAR.  
CVM ACAD. SCIENT. REG. PARIS. ACADEMIIS  
ET SOCIETATIBVS SCIENT. INSTITVTI BONON.  
REGIIS HOLM. ET LONDIN. ACADEMIAE HVMAN.  
LITTERAR. REGIAE GRYPHICAE NEC NON  
GERMANICIS DVCALIBVS HELMSTAD.  
ET IEN. ADSRIPTVS

INSTITVTVM  
IOACH. GVILIEL. WEICKHMANNI,  
GEDANENSIS, LL. CVLTORIS,  
MEMORIAM PACIS  
OLIVENSIS

ANNO MDCLX. V. NON. MAII DIE COMPOSITAE  
ORATIONE SAECVLARI  
IN TEMPLO ACADEMICO  
FRID. NON. MAII CIOCCCLX. HOR. X. ANTE MER.

